



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Titulus XI. De his, quæ fiunt à majore parte Capituli.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

citati textus juris civilis, quos contra hanc sententiam allegat Reiffenst. *num.* 40. non videntur satis efficaciter evincere intentum. Cum ex eo, quod jus adeundi hereditatem aut legatum, seu capiendi in iis possessionem (quod est ipsum jus in re, vi cuius capitur possessio,) dependeat ab acceptatione, & non nisi ab ea seu post illam nascatur, non videatur sequi, jus quoque ad rem, vi cuius acceptare potest, non nisi post acceptationem oriri. Quod etiam ex eo confirmari videtur,

quod, dum quis pessundat, quod alteri legatum, etiam ante acceptationem, legatario faciat strictè injuriam, privando illum hoc jure ad rem, utpote quod extinctione rei legatæ extinguitur. Huc quoque facere videtur textus *L. à Titio. ff. de furtis.* ubi dicitur; ea quæ legantur rectè via ab eo, qui legavit, ad eum, cui legata sunt, transeunt. Intellegendum illum textum quod ad jus ad rem, etiam ante acceptationem; & quod ad jus in re non nisi post acceptationem. Verùm de his plura *ad tit.* 13.

## TITULUS XI.

### De his, quæ fiunt à majore parte Capituli.

*Quæst.* 123. *Nomine Capituli quid intelligatur?*

**R**esp. Nomen hoc usurpatur primò pro distinctione unius materia ab alia; & sic dicuntur Capitula decretalium. Secundò pro loco, in quo Canonici congregantur, resque ad eos pertinentes ab iis deciduntur. Tertio magis ad præsentem rubricam ejus appellatione venit universitas secularium vel regularium seu collegium certarum personarum ecclesiasticarum, certæ alicui ecclesiæ aut monasterio adscriptarum, in unum congregatarum seu collegialiter convenientium.

*Quæst.* 124. *Quanam igitur sint persone illæ certæ constituentes Capitulum?*

**R**esp. primò in genere: Non omnes, qui eidem ecclesiæ Cathedrali vel collegiatæ adscripti, illi deserviunt, constituunt Capitulum, seu sunt de Capitulo. V. gr. Capellani, Vicarii, portionarii, alique beneficiarii non Canonici, in celebratione Missarum choroque assistentes absque eo, quod vocem in Capitulo habeant, aut tractatibus communibus intersint, præciudendo à privilegio. Barbof. *de can. & dignit. c.* 37. *num.* 17. citatis Gl. *ad c. penult. de cler. non resid. v. assisos.* ubi, quod beneficiarii tantùm debeant servite ecclesiæ, non autem vocari ad communes tractatus item Abb. *ibid. num.* 9. Butrio *num.* 8. Cæsar. *de Graff. decis.* 4. *b. t.* ubi dicit, Capitulum habere intentionem fundatam de jure communi privativè ad beneficiatos, intellige, interessendi tractatibus communibus cum jure ferendi suffragii. Quin &, ut idem de Graffis. *loc. cit. num.* 14. & Rota *decis.* 370. *p. 5. recent. num.* 1. & 2. beneficiatis, cum in ecclesia sint ut singuli, interdicta de jure sit facultas se congregandi, sed soli Canonici constituunt Capitulum seu sunt capitulares. Abb. *in c. scriptum, de elect. num.* 4. Barbof. *loc. cit. num.* 15. citatis Rotâ, *decis.* 708. *p. 2. recent.* & juxta illam Rubeo *in singular. Rota Tom.* 2. *p. 2. circa stylum. v. capitulum, §. 1. num.* 2. Lotter. *de re benef. l.* 1. *qu. 15. à n.* 21. ita, ut etiam Præpositi, dum non Canonici, non constituant unâ cum Canonici Capitulum. Abb. *loc. cit.* Idem est de aliis dignitatibus, si canonicali præbenda careant. Abb. *loc. cit.* Azor. *Rendina. Raguc.* & alii apud Barbof. *loc. cit. num.* 14. citantem insuper seipsum, *de off. & potest. Episc. p. 1. tit. 1. c. 3. num.* 18. & Seraph. *decis.* 98. *num.* 1. Ubi is, quod de jure communi dignitates non sint de Capitulo, nisi in earum erectione exprimat concessio stalli in choro, vocis in Capitulo; vel nisi statuto vel consuetudine disponatur, quod sint de Capitulo. De Decano di-

R. P. Leur. *Jur. Can. Lib.* III.

citur specialiter infra. Et quidem non omnes Canonici, sed solum, qui præter Canoniam ratione hujus jus suffragii habent alicubi, præsertim in Germania, etiam Canonici supernumerarii (aliàs nuncupati domicellares,) non pertinent ad Capitulum, nec sunt ad illud vocandi. Unde etiam ad Capitulum non spectant Canonici, qui nullo adhuc ordine sacro initiati; quia hi jure communi moderno, dum aliàs jure antiquiore Canonici, hoc ipso, quod essent tales, & omnes professi in monasteriis, etsi nondum sacris initiati id poterant. *Can. sin.* 16. *q. 7. c. 1. de elect.* vo cem in Capitulo in electionibus & tractatibus communibus non habent juxta *Clem. 2. de arat. & qualit.* & decretum *Trid. Sess.* 22. *c. 4. de reform.* Azor. *instit. mor. p.* 2. *l. 3. c. 11. qu. 20.* Monet. *de distrib. quotid. p.* 2. *qu. 20. à n.* 3. Tambur. *de jure Abb. Tom.* 1. *qu. 8. n. 8.* Garc. *de benef. p. 3. c. 4. n. 24.* Laym. *qq. de elect. pralat. qu. 181. resp. 3.* Ragul. *de voce can. in Capit. qu. 24.* & alii, quos magno numero citat & sequitur Barbof. *loc. cit. n. 3.* Ita etiam, ut Capitulum super hoc dispensare nequeat, & vocem concedere alicui, qui non sit ad minimum Subdiaconus. Monet. *loc. cit.* Zerol. *in pr. episc. p.* 3. *v. Canonica. §. 5. Piafec. pr. episc. p. 2. c. 3. num.* 7. Nav. *cons. 7. de cler. non resid.* Barbof. *loc. cit. n. 5.* Neque etiam, ut idem *n. 6.* citans pro hoc S. Cong. *Concil. sub die 20. April. 1603.* Canonicus id ipsum præscribere, aut aliquo pacto acquirere possit. Quò minus tamen Canonici, vel etiam alii clerici, qui jure Canonice non habent jus suffragii, carentes Ordine sacro, illud habeant alio speciali jure, puta, ex privilegio vel fundatione, nil vetat. Garc. *p. 3. addit. ad c. 4. n. 31.* Portel. *in du regular. v. electio. n. 6.* Barbof. *loc. cit. num.* 8. Wiestn. *b. t. num.* 4. Uti etiam Professi Ordinum militarium & moniales absque eo, quod sint in Ordine sacro, sua capitula celebrare possunt juxta Gl. *in clem. 2. de arat. & qualit. v. mancipati.* Quin etiam Prælato principali ecclesiæ collegiatæ competere præfidentiam & vocem in Capitulo, etsi sacris ordinibus careat, asserit Barbof. *loc. cit. num.* 11. citatis Ragul. *loc. cit. c. 5. n. 3.* & Garc. *in addit. ad c. 4. part. 3. sub num.* 26. De cætero in ordine ad habendam vocem in Capitulo per se non spectat ætas, ita ut Canonicus dispensatus à Papa ante legitimam ætatem ad subdiaconatum, ad hunc promotus, vocem habeat in Capitulo, cujus incapax erat, non per se & principaliter ratione ætatis modò annos discretionis habeat, sed ratione defectûs ordinis talem ætatem poscentis. Barbof. *loc. cit. num.* 9. citatis Felin. *in c. postulasti. de rescript. n. 12.* Sanch. *de matrim. l. 8. d. 1. n. 23.* Tamb. *de jur. Abb. Tom.* 4. *d. 5. qu. 8. num.* 10. Suar. *de relig.*

relig. Tom. 4. tr. 8. l. 2. c. 4. n. 9. De dispensato verò in atate in ordine ad consequendum Canoniatum dicitur quidem juxta sententiam S. Cong. Concil. de 15. Sept. 1629. apud Barbof. loc. cit. num. 13. quod habere possit vocem in Capitulo, ipse tamen verius censet juxta resolut. Rotæ in caus. Senens. Archiepisc. de 23. Junii, 1606. illam dispensationem cum eo ipso se non extendat ad sacrum ordinem suscipiendum, cui votum seu vox in Capitulo annexa, impediri adhuc ab ea ferenda. Vide eundem. Nihilominus quod spectat ad atatem, statuto vel consuetudine capitulari induci potest in certis ecclesiis, ut Canonici, etiam constituti in sacris, ad Capitulum ante certos annos à nativitate, vel ab apprehensa Canonici possessione, aut à suscepto ordine non admittantur. Wiestn. h. t. num. 5. Quemadmodum etiam in quibusdam religiosorum ordinibus jure speciali juxta specialia eorum statuta à Sede Apostolica approbata non nisi soli Sacerdotes seu Patres nomine Capituli veniant, & negotiis collegialiter gerendis interesse possunt. Donat. pr. regular. Tom. 2. p. 1. tr. 2. qu. 8. uti è contra juxta similia statuta specialia in quibusdam Ordinibus professi, etiam juniores, dum magni momenti negotia tractanda sunt, admittantur Engels. h. t. num. 7. Similibus statutis non adverstante, quòd, ut cit. clem. & Trident. generaliter adimat vocem non constitutis in sacris; cum clausula: non obstantibus quibuslibet consuetudinibus & statutis: cum per hoc derogare non intendant hujusmodi statutis Ordinum religiosorum à Sede Apostolica approbatis juxta declarat. S. Cong. Concil. de anno 1573. apud Zypeum in analis. juris pontif. h. t. n. 2. Portel. loc. cit. v. electio. n. 5. & 6.

**Quest. 125. An nomine Capituli veniat Prælati, & in specie Decani, item Vicarii & Coadjutor Episcopi?**

1. **R**esp ad primum: Prælati, puta Episcopus, Abbas non venit nomine Capituli, seu unà cum capitularibus constituit Capitulum, sed ut diversa & unum in altero non contentum distinguuntur, licet de cætero faciant unam ecclesiam, veluti caput & membra unum corpus; & sic dici potest spectare ad ecclesiam, non verò ad Capitulum ecclesie. Gl. in cit. Clem. 7. in eisdem. Abb. in c. post electionem. de concess. præb. n. 8. & 9. Barbof. ibid. num. 3. Pirh. h. t. num. 1. Reiffenst. num. 5. contra Tusch. lu. c. conclus. 46. & Anchar. conf. 248. num. 12. constare hoc ipsum videtur ex Titul. de his, que sunt à Prælati sine consensu Capituli; dum ibi Prælati & Capitulum contradistinguuntur; & Prælati tanquam superior Capituli sub eo comprehendendi nequit. Et hæc quidem propriè & in rigore loquendo; nam in largiore significatione & in materia favorabili nomine Capituli comprehendendi etiam Prælatum veluti caput illius principale, fatetur cit. Gl. in Clem. 2. & Abb. loc. cit.

2. **R**esp. ad secundum: Decanus propriè est pars & quidem præcipua Capituli, adeoque in eo veluti toto continetur, ut probatur ex c. post electionem. de concess. præb. ubi resolvit Papa contra mentem capitularium, quòd litera directæ ad Capitulum, in quibus nulla mentio facta de Decano, nihilominus eum affecerint. Unde Gl. ibid. v. mentio. inquit: nec erat necesse facere mentionem de parte, id est, Decano; cum pars teneatur in toto; & ita tenent Abb. in idem c. num. 9. Pirh. loc. cit. Reiffenst. h. t. num. 5. cum communi. Quamvis

Fagn. in c. ut Abbates, de atate. & qualitate. n. 22. cum Abb. in c. cum inter universas. de elect. n. 2. dicat, Decanum non esse de Capitulo, nisi simul sit Canonicus, vel nisi sic habeat consuetudo. Item Barbof. de Can. & dignit. c. 27. num. 12. dicat Decanis, Archiepiscopis, Prioribus, qui Prælati non sunt, licet etiam non constituti in sacris convocare possint Capitulum, & in eo proponere, & resolutiones recipere, ut ex declarat. S. Cong. probant Garc. loc. cit. & Gratian. discept. for. Tom. 4. c. 482. num. 26. non competere vocem in Capitulo, stante dispositione cit. Clem. 2. & Concil. Trid. Unde inferre licebit, Decanum, si Prælati est, (uti sunt in hisce partibus Decani, & Decanatum esse dignitatem ex Abb. & Archid. asserit Fagn. loc. cit.) vocem habere in Capitulo, & hoc indubitatò, si simul sit Canonicus.

3. **R**esp ad tertium, Vicarium generalem Episcopi, dum Canonicus est, esse de Capitulo, & vocem in eo habere, dubium non est; quamvis sedere debeat, & dare votum loco suo Capitulari, habito nimirum respectu Anciennitatis & dignitatis cæterorum Canonicorum Ventrigl. Tom. 2. annot. 14. §. 2. n. 14. citans Abb. conf. 21. vol. 1. Grillenzon. conf. 122. num. 5. Barbof. loc. cit. c. 15. num. 12. & si tractandum de rebus ad sui vel Episcopi sui commodum spectantibus, debet exire de Capitulo. Ventrigl. Barbof. LL. cit. testantes, sic decisum à Cong. præposita negot. Episcoporum. & regular. Si verò Canonicus non est, adeoque nec de Capitulo, eidem intervenire nequit, etiam absente Episcopo. Ventrigl. loc. cit. num. 15. Pignat. consult. 154. num. 6. Unde etiam eum admittere non tenentur Canonici, etsi possint, ut Ventrigl. & Barb. LL. cit. nisi fortè de consuetudine vel alio jure speciali id ei competeret, aut etiam intervenire ad servanda scandala tumultuantium in Capitulo Canonicorum. In quo casu eum admittere tenentur, etsi tunc nullum possit ferre suffragium. Ventrigl. loc. cit.

4. **R**esp. ad quartum: Idem ferè dicendum de Coadjutore Episcopi aut alterius Canonici, ut dum ejusdem Capituli Canonicus non est, & si Canonicus illius est, secundum Castr. tr. 13. d. 1. p. 10. debeat exire de Capitulo, quoties tractatur negotium illius aut coadjuti utilitatem principaliter concernens, negantibus idipsum. Garc. p. 4. c. 5. n. 105. Barbof. jur. ecclesi. l. 3. c. 10. num. 95. Ventrigl. Tom. 2. annot. 13. num. 60. eò quòd eo ipso non agat nomine coadjuti, sed nomine proprio & ecclesie. Unde etiam ait Remouch. de coadjut. c. 15. num. 6. quòd licet Coadjutor in causa ipsius coadjuti non possit interesse Capitulo tanquam Coadjutor, nihilominus in qualitate Canonici non denegandum ei suffragium modò id dandum non sit in causa coadjutorie.

**Quest. 126. Quando & per quem convocandum Capitulum?**

1. **R**esp ad primum: Capitulum etsi non ad libitum illius, cujus est illud convocare, convocandum. Raguf. de voce Can. in Capit. quest. 21. num. 1. Fagn. in c. his que. de major. & obed. n. 14. Sed consuetis temporibus & diebus ad hoc destinatis; potest nihilominus convocari, quoties illi, ad quem spectat, videbitur expedire servitio ecclesie, aut etiam quoties illud convocari institerint Canonici. Barbof. loc. cit. c. 5. num. 1. testans sic censuisse S. Cong. præpositam negot. Episc. & Regular. in Ripana die 6. Octob. 1617.

2. **R**esp.

2. Resp. ad secundum: Convocandum per Præfidentem illius, ut Barbof. quem Fagn. in c. ut Abbates. de atat. & qual. num. 27. dicit esse Archidiaconum, & hinc ad eum spectare convocare Capitulum, pro quo citat Host. in c. 1. de major. & obed. num. 2. Butrio num. 10. & alios. Sed quidquid sit de superioritate Archidiaconi supra Decanum & jure convocandi Capitulum, hoc jus de consuetudine spectare ad Decanum, ut addit Fagn. ex Abb. in c. audris. de elect. num. 3. & habet communis, videmusque passim sic fieri in Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ. Deficiente verò Decano, convocare Capitulum actusque capitulares dirigere de jure vel consuetudine spectat ad antiquiores ex Canonicis. Abb. in c. 1. de major. & obed. num. 4. Felin. & Jo. And. ibid. Fagn. in c. quia propter. de elect. num. 75. Nequaquam autem Vicarius Episcopi convocare potest Capitulum, aut etiam ejus convocationem impedire ratione officii sui, absente etiam Episcopo, juxta quod statuitur à Trid. Sess. 25. c. 6. nisi forte, ubi urgente causa id posset Episcopus. Pignat. consult. 154. num. 5. vel etiam deficiente Decano, ubi Vicarius ille esset Senior Canonicus. Episcopus verò convocare potest Capitulum suum, vota exquirere, & juxta pluralitatem eorum concludere, dum quid Canonicis proponere habet spectans ad Episcopalem dignitatem, jurisdictionem, administrationem, regimen, non verò spectans ad suum suorumque commodum, (nisi illud privatum interesse spectaret ad illum tanquam Episcopum, ut S. Cong. in una Seguntin. 3. Sept. 1587. quam retuli in for. benef. p. 2. quest. 671. num. 1.) nulla etiam consuetudine obstante, tam juxta jus commune, ut Innoc. in c. irrefragabili. de off. ordinar. num. 3. quam juxta Trid. Sess. 25. c. 6. Fagn. in c. cum ex injuncto. de nov. oper. renunc. num. 26. Barbof. loc. cit. c. 35. num. 7. qui tamen num. 9. subjungit, quòd quamvis, dum de suo suorumque commodò agitur, possit Episcopus Capitulum convocare & rem proponere, debeat tamen relinquere Canonicos solos, ut ipsi liberè rem discutiant & determinent, ipse Episcopus nullam in hoc casu vocem habeat, uti etiam aliàs nullam habet in Capitulo vocem, ut Barbof. in reperor. v. Capitulum; nisi forte esset simul Canonicus, & interveniret ut talis.

*Quest. 137. An & qui Canonici vocandi ad Capitulum?*

1. Resp. primò: Dum est Capitulum extraordinarium, hoc est, extra consuetà tempora celebrandum, ad actus capitulares regulariter sufficit vocari omnes in loco presentes, aut non longè absentes; secus est, dum Capitulum est ordinarium seu solitum haberi certo tempore. In priore enim casu ideo non accedens ad Capitulum, quia non vocatus nescivit habendum Capitulum aliàs privaretur sine omni sua culpa exercitio juris suffragii, ad quod jus habet. In posteriore verò casu, etiam non vocatus, sciens habendum Capitulum illo tempore, & negligens aut volens interesse sibi imputare debet, quòd sine suo consensu tractetur & decidatur aliquid; nisi forte de consuetudine etiam ad Capitula ordinaria vocandi essent. Quòd si tamen etiam in Capitulo ordinario tractandum foret negotium aliquod arduum, requirens convocationem Capituli, id singulis Capitularibus præviè indicandum, eorumque faciendà citatio. Ita ferè Reiffenst. h. t. num. 8.

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

2. Resp. secundò: Absentes Capitulares in tribus solum casibus de jure vocandi ad Capitulum, ut DD. communiter cum Gl. in c. 2. de testib. in 6. v. ipsorum. Quam sententiam Barbof. loc. cit. c. 39. n. 1. & alii vocant magistralem. Nimirum primò in electione Prælatorum, c. quia propter. de elect. Secundò, dum quis recipiendus in Canonicum, aut faciendà collatio præbendarum vel beneficiorum, c. cum in ecclesiis. de præb. in 6. Tertio, cum indicendà cessatio à divinis, c. quamvis. de off. ordinar. in 6. ita Abb. in c. cum ex injuncto. de nov. oper. renunc. n. 10. Fagn. ibid. n. 25. Idem, nimirum quòd omnes absentes vocandi ad alios casus similes aut magis arduos, aut etiam in genere ad casus omnes arduos cum Abb. in c. 1. h. t. n. 13. Felin. in c. cum omnes. de constit. Fagn. Barbof. LL. cit. Ragul. de voc. can. q. 10. n. 5. passim extendunt AA. si tamen commodè citari possunt, & non est periculum in mora, & in contrarium non stet consuetudo aliquarum ecclesiarum, quæ semper est in hoc attendenda, ut monet Gl. in cit. c. quamvis. v. evocandi. Barbof. & alii apud illum. uti & in eo, ex quàm remoto loco absentes vocari debeant, standum consuetudini, ut cum eadem Gl. & communi Fagn. loc. cit. n. 53. Dum autem dispersi, & ab Ecclesia Cathedrali (idem videtur de collegiata,) absentes capitulares, qui debuerunt & commodè vocari potuerunt, vocati non sunt, id valori actus capitularis non obstat; Cum is ex inde non modò non sit ipso jure nullus; sed nec cassari debeat, illis non vocatis non persequentibus contemptum & contradicentibus. Fagn. loc. cit. num. 51. citatis c. quod sicut. c. bona et secundo. c. ecclesiæ. et secundo. de elect. & Abb. in c. quia propter eod. n. 12. Jo. And. n. 28. Card. n. 3. in quest. 7. Cum aliàs etiam unico solo non vocato, qui vocari potuit & debuit, probante & prosequente contemptum, seu contradicente actus à reliquis, etiam majore parte Capituli, in ejus absentia gestus cassari debeat juxta textus citatos. Qui quidem loquantur de electione, quòd ad alios tamen etiam actus capitulares paris arduitatis locum habent. Quin etiam, si vocandorum, abstrahendo jam ab absentibus & presentibus, plus quàm tertia pars non vocata seu contempta fuisset, eà etiam contemptum non prosequente, actus & per eum decreta à reliquis ipso jure essent nulla; non jam propter non vocatorum contemptum, sed propter defectum potestatis ad aliquid decernendum, residens penes duas partes Capituli (quæ deserviunt, si plus quàm tertia pars non vocetur,) siquidem hæc duæ partes totum Capitulum representant, c. cum nobis. de elect. Laym. in c. bona. de elect. n. 5. Pirh. ad tit. de postulat. n. 18. & quòd duæ partes faciunt, id tota universitas facere videtur; cum tota ejus potentia in duabus illis partibus resideat. L. nulli. ff. quod cujusque universitatis nomine. De cætero Capitulares tam absentes quàm presentes in loco Capituli, si legitime vocati venire neglexerint seu noluerint, (dum extra casum, quo ipsorum absentia ecclesiæ damnosa, aut presentia valde utilis, aut aliud speciali jure receptum, ad comparandum compelli nequeunt. Arg. c. quia propter,) cæteri ad actus capitulares procedere possunt. Gl. in idem. c. v. qui volunt. Abb. n. 4. Sylv. v. electio 1. n. 6. Quæ verò ulterius circa vocandos tam presentes quàm absentes ad Capitulum ratione habendæ electionis, (quorum præcipua etiam aliis actibus capitularibus applicari possunt,) vide tractata à Barbof. de Canon. c. 39. uti & à me in foro benef. p. 2. à quest. 300.

I 2

Quest.

**Quaest. 128. Quo in loco habendum Capitulum?**

**1. R**esp. Capitulum secundum jus commune celebrari debet in ecclesia & loco ad hoc determinato, nec sine justa causa transferri potest ad locum alium, *c. quod sicut de elect.* junctâ Gl. v. *constitutiones. c. quâ fronte. de appell.* junctâ Gl. v. *Canonicum.* Fagn. in *c. cum injuncto. n. 17.* Quin & Episcopum, ubi aliquid non spectans ad suam privatam suorumque utilitatem vult proponere, non posse Capitulum congregare & celebrare in suis aedibus, sed debere accedere ad ecclesiam locumque aliâs consuetum Capituli, juxta S. Cong. assertit Fagn. *loc. cit. num. 18.*

**2.** Dixi tamen: Sine justa causa: dum enim Capitulum tunc convenire nequit in ecclesia vel loco ordinario Capitulari, dubium non est, quin alibi haberi possit; ubi congruere videbitur Arg. *c. in nomine domini. dist. 23.* Et sic etiam repulso Episcopo ab ingressu suae civitatis, videtur causa justa translationis Capituli ad alium locum extra illam, ubi cum Canonicis suis deliberet de negotiis suae ecclesiae. Ita cum de jure & ex Trident. facultatem habet in casu supra dicto convocando Capitulum, eamque facultatem in Ecclesia sua Cathedrali exercere nequeat per Vicarium repugnante Concilio, per se propter impedimentum a civitate injectum, consequens est, ut eam exercere possit extra dictam Ecclesiam, Arg. *c. statumus. de off. ordinar. in 6.* ubi, quod cui committitur aliquid certo loco expediendum, & is illud ibi securè exercere nequeat, possit illud extra eum expedire. Fagn. *loc. cit. num. 23. & seq.* De cætero quod dictum à me in *for. benef. p. 2. quaest. 320. num. 3.* de loco electionis, videtur quoque locum habere in aliis actibus capitularibus; nimirum, ut hi quoque ex rationabili & publica causa (secus est de causa privata aliquorum Capitularium) si haberi nequeant in loco consueto, haberi possint & debeant extra illum, ita ut tunc minor etiam pars ad locum consuetum adire non teneatur, sed possit ab eo justè appellare. Reliqua spectantia specialiter ad locum habendæ Capitularis electionis; nimirum, quod hæc habita extra fines ecclesiae aut locum consuetum, in loco tamen honesto, etiam citra causam rationabilem, non sit ipso jure irrita, nec etiam jure irritanda, excepta electione Papæ, quæ facta extra conclave est nulla juxta *c. ubi periculum. de elect. in 6.* & Bullam Gregorii XV. *atervi Patriæ.* Teneat quoque facta in loco interdicto, nec sit irrita aut irritanda facta in locis abditis, etiam secretissimis, vide apud me *loc. cit. quaest. 321. & seq.*

**Quaest. 129. An & qualiter duæ partes Capituli constituent & representent totum Capitulum, sintque necessariae ad hoc, ut actus Capitulares valeant?**

**1. R**esp. primò: Ad totum Capitulum constituendum & representandum non sufficit major pars, sed requiritur, ut duæ tertiæ partes sint præsentibus. Fagn. *loc. cit. n. 48.* juxta *L. planè & L. nulli. ff. quod cuiusque universi. nomine. & L. nominationum. C. de Decurion.* & hæc duæ partes representant totam communitatem, quæ est persona ficta & representata, *L. mortuo. ff. de fidejuss. l. 3. ff. de decretis ab ordin. faciend.* Abb. in *c. 1. h. t. num. 16.*

**2.** Resp. secundò: Ut Capitulum censeatur tractasse quid capitulariter, actusque ab univer-

sitate gestus valeat, requiritur inter cætera (quæ sunt, ut omnes habentes jus suffragii, si potuerunt vocari, sint legitime vocati & collegialiter congregati, & non separatim suum suffragium tulerint,) dictas duas partes fuisse præsentibus, juxta *c. L. nulli & L. planè;* cum hac tamen distinctione inter Canonistas communi, quam tenet Abb. in *c. cum omnes. de constit. num. 13.* Felin. *ibid. n. 34.* Host. Jo. And. Butrio, Rota in *Paduan. Seditium. 28. April. 1617.* quam & quos citat Fagn. in *c. cum injuncto. de nov. oper. nunc. num. 49.* nimirum, quod in casu, quo nullus adesset superior, ad quem spectet convocatio Capituli seu Universitatis, ut valeat actus, debeant ad minimum convenire duæ partes, à quibus monenda seu convocanda pars tertia seu cæteri (qui aliâs de contemptu agere possent,) qui commodè vocari possunt, & si vocati venire noluerint, pergere possunt dictæ duæ partes ad actum Capitularem, & ita cum Canonista Civilista. Si verò adsit superior talis, & ad ejus mandatum seu convocacionem non convenient omnes, qui vocari poterant & debebant, venientes, etiam si non faciant duas tertias; imò, si non constituent majorem partem Capituli, possunt procedere ad actum Capitularem; eò quod tunc convocatio illa superioris constituat non venientes in contumacia, quæ privat illos jure ferendi suffragii pro illa vice, & ita Canonista.

**Quaest. 130. Quenam dicatur pars major & sanior Capituli?**

**1. R**esp. primò: Major pars Capitularium desumenda non est respectu aliarum partium, sed respectu totius Capituli. Zerol. in *pr. epsic. p. 1. v. Capitulum. num. 13.* Barbof. *de can. c. 18. n. 9.* De hoc verò, quod Zyp. in *analyfi. h. t. num. 1.* ait procedere hoc ipsum, nisi consuetudo habeat aliud; quâ passim receptum dicit, ut, quod major pars non solum respectu totius Collegii, sed respectu etiam aliarum minorum partium decernit ratum sit; de hoc, inquam, merito dubitant Wiestn. *h. t. num. 23.* Reiffenst. *num. 28.* Num verum sit respectu electionum Prælatorum & gravium causarum collegiarum ecclesiasticarum, etsi non negent de causis minorum collegiorum. Desumitur quoque major pars in casu, quo aliqui contempti seu non vocati, qui de jure debebant & poterant vocari per respectum, non ad solos præsentibus, sed ad hos & contemptos simul computatos. V. g. dum Capitulares sunt octo, ex quibus duo contempti, ut major pars censeatur consensisse, non sufficit ex sex præsentibus consensisse quatuor, sed requiritur consensisse quinque, qui computatis simul præsentibus & absentibus constituent majorem partem. Wiestn. *h. t. num. 22.* citatis Innoc. in *c. in Genesi. de elect. in fine.* Abb. *ibid. num. 11.* Passer. *de elect. c. 11. n. 112.* Idque ideo, ne si per injuriam sibi illatam non præsentibus non computarentur ad majorem partem constituendam, fraudibus aperiat via dum, qui quos timerent suis suffragiis adversaturos, possent hac ratione, illos non vocando, excludere, & tamen validè celebrare actum capitularem, quem intendebant. De cætero ad majorem partem constituendam sufficit quicumque excessus Capitularium sive votantium, etiam si esset unius medii voti. V. g. dum Capitulares sunt tredecim, septem vota non nisi medio voto superant medietatem, & tamen actus, pro quo sunt vota septem, à majore parte Capituli gestus reputatur & valet; quia jura

regulariter plus non requirit, quam ut gestus sit consensu majoris partis Capituli, collegii seu universitatis, quod contingit in præsentem casu; ac ita tenent. Abb. in c. Cumana, de elect. n. 9. Butr. n. 15. Passer. de elect. c. 19. n. 18. Donat. Tom. 2. pr. Regular. p. 1. tr. 5. q. 44. n. 8. Reiffenst. h. t. n. 20. Wiestn. n. 21. ego in for. benef. p. 2. q. 370. n. 2. Confirmaturque hæc praxis computandi, & in hoc casu habendi medietatem suffragii propter indivisibilitatem suam pro integro voto usu generali ferè omnium Capitulorum, Germaniæ præcipuè; dum actus capitulares, & in specie electiones ad Prælaturas Ecclesiarum, tam secularium, quam regularium indubitate habentur pro validis & canonicis, & ut tales à Superioribus ipsaque Sede Apostolica confirmantur, & in numero suffragiorum dimidio tantum suffragio majore. Proceduntque hæc etiam, dum statuta Ecclesiæ alicujus vel Ordinis Religiosi expressè requirunt unum votum supra medietatem; eò quod talia statuta particularia in materia juris interpretationem recipiant à jure communi, itaque intelligenda, ut quò ad fieri potest, ab eo non recedant c. cum dilectus, de consuetud. junctâ Gl. v. cum communi. c. ex parte de V. S. & ibi Abb. num. 2.

2. Resp. secundò: Sanior pars dicitur, quæ constat viris dignitate, prudentiâ, scientiâ, pietate & zelo boni publici magis conspicuis; Fagn. in c. 1. h. t. n. 3. & seq. Circa quod notandum, quòd major pars numero (præsertim si duæ partes Capituli consentiant) censetur etiam sanior, nisi manifestè appareat, aut legitime probetur, partem majorem numero corruptam, aut alio sinistro affectu in transversum agi. Abb. in c. Ecclesia, de elect. n. 4. Fagn. loc. cit. n. 4. Unde etiam, cum ex investigatione, quam sit pars sanior, multa oriuntur incommoda, hodie dum (maximè stante dispositione Trid. Sess. 25. de Regular. c. 6. ut Barbof. de Can. & dignit. c. 38. n. 8.) non inquiritur amplius, quæ pars suffragiorum sit sanior, sed tantum attenditur major numerus; cum regulariter in dubio stetur pro pluralitate, nisi contrarium probetur. Arg. c. prudentiam, de off. deleg. Gl. in c. 1. h. t. v. Rationabiliter. Adeoque major pars Capituli præsumatur etiam sanior, & sic, quod ab ea decretum, à saniori parte decretum censetur. Barbof. loc. cit. Laym. in tit. c. Ecclesiæ, n. 4. Tambur. de jure Abb. Tom. 1. d. 5. q. 6. n. 21. Lavor. de elect. tit. 4. c. 14. num. 89. Sigism. à Bonon. de elect. du. 38. n. 8. & alii apud Barbof.

**Quest. 121. An & qualiter, ut acta Capituli valeant, sufficiat & requiratur, à majore parte Capituli præbitum consensum?**

1. Resp. primò: Sufficere ordinariè, partem in sensu priore quest. explicato majorem Capitularium, seu vocem decisivam in Capitulo habentium præsentium consentire, modo duæ partes vocandorum præsentis sint juxta dicta quest. ante hanc penult. & non requiri, ut omnes consentiant; cum jura sub disjunctione consensum omnium vel majoris partis; & in plerisque negotiis consentire omnes difficile & rarum est, dum in Capitulis & Congregationibus sæpe reperiuntur heteroclitica capita, adeoque consensum non sit, valorem actus semper pendere ab unanimi seu omnium consensu. Unde jam etiam non valet statutum vel consuetudo, etiam juramento firmata, vi cujus omnes

de Capitulo, vel etiam duæ partes debeant consentire, ad hoc, ut actus capitularis valeat; quia hoc ipsum statutum vel consuetudo damnosa est Ecclesiæ; cum per hoc facultas statuendi, quæ justa & utilia sunt, impediatur, & quilibet de Capitulo commoda Ecclesiæ impedire possit; adeoque etiam tale juramentum, utpote tendens contra utilitatem Ecclesiæ, non obligat, & censetur potiùs perjurium; prout hæc sumuntur ex c. 1. h. t. Ad hæc, quod major illa pars fecit seu decrevit, id censetur à tota universitate, etiam concordè & consentiente decretum juxta c. 1. h. t. & quod pars major Curia egerit, pro eo habetur, ac si omnes egerint. L. quod major. ff. ad municipalem. Abb. in c. 1. h. t. n. 16. Azor. instit. mor. p. 2. l. 6. c. 17. q. 3. Laym. in disp. Can. de Reb. Eccl. alien. thes. 16. Pirh. h. t. num. 2. cum communi. Atque ita valent gesta à majore parte universitatis, etiam si minor pars contradixerit, pro ut statuitur cit. c. 1. nisi forte pars major aliquid decreverit cedens in damnum Ecclesiæ, vel etiam in præjudicium minoris partis, vel unius ex illa; tunc enim pars minor, vel etiam unicus ille contradicere potest Arg. c. Nicæna. dist. 31. junctâ Gl. fin. Riccius in pr. p. 2. resol. 249. (& nisi expressè contradicatur, consentire censetur, sitque participes peccati & pœnæ; quia, cum sit pars Capituli, quæ ab hoc fiunt ad ipsum aliquo modo spectant. Jo-And. in c. 1. h. t. n. 4. Abb. n. 13. Pirh. h. t. n. 5.) & decretum majoris partis impedire, aut facere rescindi, allatâ & probata coram superiori Capitulo aut electis arbitris causâ rationabili in contrarium. Gl. in cit. c. 1. v. ostensum. Abb. ibid. num. 5. Pirh. num. 4. Et hoc idem est, dum vel unicus contemptus, qui agens de contemptu, potest irritare, quod actum à ceteris. Gl. in c. quia propter de elect. v. Sanior. Abb. ibid. n. 12. & plus contemptus unus, quam contradictio multorum obviat. c. bone memorie de elect. & hoc absque eo, quòd necesse sit appellare; cum absque appellatione possit recurrere per viam querelæ ad superiorem pro retractatione vel rescissione decreti majoris partis, quod quia ab ea processum non est judicialiter, non transit in judicatum. Abb. loc. cit. n. 13. Quâ tamen appellatione extrajudiciali non obstante, major pars procedere potest ad executionem sui decreti, ut cum Jo-And. in cit. c. 1. n. 2. Pirh. & postea, ubi objecta à minore parte agnita rationabilia, rescindi. Neque his obstat, quòd, dum plures sunt patroni, præsentatio valeat, etiam facta à majore parte illorum etiam respectu minoris partis, licet non excedat medietatem omnium patronorum. Nam præsentatio fit à patronis ut singulis, non autem ut à collegio. Quod autem dicitur c. 1. h. t. aliisque textibus & ab AA. passim, non sufficere partem majorem, nisi etiam sit sanior, sive utramque simul seu copulativè requiri, ut sit major & simul sanior, hoc ita intelligendum non est, quòd semper pars major constare debeat viris dignitate, prudentiâ, zelo &c. magis conspicuis, sed requiri, quòd non appareat, aut legitime probetur corruptam, aut sinistro affectu occupatam procedere irrationabiliter, nihil in damnum Ecclesiæ, aut præjudicium minoris partis moliri; hoc ipso enim secundum dicta, quòd major sit numero, censetur etiam sanior, seu est sanior præsumptivè: quod & non plus requirunt jura.

2. Resp. secundò: Nihilominus sufficit major & sanior pars Capituli, sed requiritur consensum

ius omnium capitularium, dum Collegium seu Capitulum gratiam alicui facit. Azor. p. 2. l. 6. c. 17. q. 3. Item in casu dum negotium de quo agitur, principaliter & directè, & non tantum in consequentiam, singulos separatim concernit. Gl. in c. cum omnes. de constit. v. institutum. Gomez. Tom. 2. var. c. 3. n. 14. Dian. p. 1. tr. 3. resol. 26. & alii, quos citat & sequitur Barbof. loc. cit. n. 13. juxta Reg. juris. 29. in 6. quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Verum de hoc enucleatius quest. seq. Est tamen etiam casus, in quo non sufficit major pars, sed requiruntur duæ tertiæ, nimirum Cardinalium presentium in electione Papæ juxta c. licet. de elect. uti etiam duæ tertiæ requiruntur in electione alia, dum hæc concurrat cum postulatione. Verum de his vide me in for. benef. ubi actum de postulatione & electione.

3. Resp. tertio: Pars minor, manens talis, etsi rationabiliter obijciens aliquid & probans, impedire possit decretum majoris partis, aut cogere illam per superiorem ad retractandum illud, ut dictum paulo supra juxta c. 1. h. t. ubi: Ut appellatione remota, semper effectum suum consequatur, quod à majore & saniore parte Capituli fuerit constitutum: sub hac expressa exceptione: Nisi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit ostensum. Licet, inquam, se ita hæc habeant quod ad minorem partem; ea tamen nunquam decernere quid potest capitulariter seu nomine totius Capituli, nisi in casu, quo major pars esset privata ipso facto voce activa ob delictum commissum in actu capitulari. V. g. Ob electionem indigni scienter factam; eò quod tunc totius Capituli potestas resideret penes ceteros non delinquentes, licet numero pauciores; & hi repræsentarent pro illa vice Capitulum privatè ad delinquentes, & hi statuere. V. g. eligere aut negotium, circa quod deliquerunt alii, conficere possent. Abb. in c. 1. h. t. num. 11. Barbof. loc. cit. num. 14. Pirh. h. t. num. 3. Reiffenst. num. 22. Atque ita minor pars respectu hujus actus non remaneret pars minor, sed evaderet, pars major, imò totum collegium, ac si alii non essent, & consequenter, quod major pars horum non delinquentium statueret, erit ratum, absque eo, quod omnes illos necesse sit consentire, dum electio, v. g. de novo facienda.

*Quest. 132. An igitur etiam pars major Capituli possit aliquid decernere cum præjudicio minoris partis?*

RESP. Episcopus seu Prælatus cum majore parte Capituli contradicente minore parte potest ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ decernere, non solum de bonis & juribus communibus Collegii juxta c. 1. h. t. sed etiam statuere de bonis & juribus spectantibus ad Capitularium singulos, adeoque in præjudicium singulorum, dum hæc illis obveniunt jure Collegii. Sic statuere potest, ut quilibet Canonicorum partem aliquam suorum reddituum pro reparatione Ecclesiæ conferre teneatur, prout statutum. c. ult. h. t. Cujus decisionis ratio est; quia jus percipiendi à singulis redditus Ecclesiasticos beneficiorum originatur in jure Ecclesiæ seu Collegii, & principaliter spectat ad illam ex cujus fructibus mensa capitularis surxit, licet jus hoc & fructus secundum portio-

nes divisum & attributum singulis pro honestæ eorum sustentatione, ac ita singuli eos percipiunt non jure proprio ac singulari, sed Ecclesiæ inter quam & Prælatus seu ipsorum ejus cæterumque Capitulum cum maxima sit communicatio, ejusque insuper proventus juxta primævam institutionem dividendi sint in quatuor partes, quarum una applicanda mensa Episcopali, altera mensa capitulari, tertia fabricæ, quarta pauperibus; hinc inquam æquissimum est; quin & lex caritatis exigat, ut Episcopus & Capitulum ex suis partibus ejus necessitati. V. g. dum fabrica restitutione eget, subsidium ferant, singulis Canonicis ex suis redditibus ad hoc contribuendis; ac proinde, ut id fiat, & singuli ad hoc teneantur, statuere potest Episcopus cum majore parte Capituli; ita cum Jo. And. & Abb. in c. ult. h. t. Laym. in disp. de reb. Eccles. alien. thes. 20. Pirh. h. t. num. 8. &c. quin etiam, ut iidem juxta c. 1. h. t. & c. de his. de Eccles. adific. si evidenter constet, mensam capitularem habere abundantes redditus, & fabricam egere, potest solus Episcopus compellere Capitulum, ut ex iis subveniat fabricæ; cum de jure ad hoc obligatum sit, & ubi est obligatio juris, non requiritur consensus obligati. Porro licet cit. c. ult. dicatur, posse Capituli majorem partem sic disponere unà cum Episcopo; videtur tamen etiam id posse sine Episcopo; & ita sentire videtur Laym. ib. mor. l. 1. tr. 4. c. 7. n. 10. dum postquam dixisset, posse Capitulum sine consensu Prælati statuere in causis exiguis ad se proprie spectantibus, subjicit; ad ejusmodi statuta sufficere consensum majoris partis, etiam si statuatur de rebus spectantibus ad singulos, jure tamen collegii, dummodo urgeat ratio necessitatis vel magnæ utilitatis, idque etiam locum habere in Ecclesiis collegiatis, ut statuere possint sine Episcopo &c.

2. Atque ex his inferitur primò, quod major pars collegii seu universitatis etiam secularis, contradicente minore, disponere quid possit in præjudicium cum diminutione juris & commodi singulorum, dum singuli participant seu utuntur hoc jure, non ut proprio & singulari, sed tanquam jure universitatis ejusdem, v. g. pacisci potest seu transigere circa jus pascendi aut cædendi ligna pertinens ad communitatem, ita ut singuli cives vel oppidani utantur eo jure in proprium commodum, cum tamen non sit jus singulorum proprium, sed jus universitatis, & usus & fructio tantum sit singulorum, non obstante, quod talis pactio seu transactio cedat in diminutionem commodi singulorum. Laym. loc. cit. thes. 21. Pirh. h. t. num. 8. notab. tertio. Inferitur secundò, quod è contra major pars communitatis sic statuere nequeat, etiam ad opera pia, circa bona singulorum, quæ ad singulos spectant jure proprio, ut sunt bona patrimonialia, & quæ ex his proveniunt; cum pars major non habeat jurisdictionem in minorem partem universitatis; & de his procedit regula 26. juris in 6. quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari; & textus l. qui fundum. ff. de servit. prædior. rustic. ubi summarium sic habet: In iis, quæ communia sunt pluribus ut singulis, requiritur consensus omnium, qui potest separatim adhiberi; quamvis, ut Abb. in c. ult. h. t. num. 5. apud Pirh. loc. cit. notab. 4. quando universitas non habet, unde satisfaciatur obligationibus & debitis suis possint per superiorem singuli cogi ad contribuendum communitati ex bonis suis propriis & privatis.

Infer-

Infertur tertio, quod, ut major pars sic disponere possit circa redditus spectantes ad singulos jure collegii, requiratur imprimis causa pia & necessitas, vel utilitas, quae necessitati comparatur *Gl. in c. cum omnes. v. constitutum. de constit. Abb. in c. ult. h. t. numero 4.* Laym. *loc. cit.* Pirh. *loc. cit. notab. 1.* Unde non potest major pars, contradicentibus ceteris, constituere, ut singuli de redditibus pertinentibus ad eos jure collegii contribuant ad faciendam alicui gratiam, quae neque propriè pia, neque necessaria; cum sic cesset ratio, in qua fundatur dispositio illa *c. ult. h. t.* Et quidem requiritur, ut sit necessitas vel utilitas & causa pia ipsius Ecclesiae, cujus Capitulares ad contribuendum coguntur; si enim contributio illa facienda pro opere aliquo pio, sed extraneo, seu tali, quod ad dictam Ecclesiam seu Capitulum non multum pertinet, poterit pars

minor vel etiam unicus se opponere & impedire decretum majoris partis, pretendendo proprium seu singulare suum interesse. Pirh. *cit. notab. 1.* Wiestn. *h. t. num. 29.* De cetero, quia etiam ad utilitatem Ecclesiae Cathedralis spectat erectio & conservatio seminarii Clericorum, ad hanc dicta ratione statuere poterit major pars Capituli Cathedralis, juxta quod expressè decretum à Trid. *Sess. 23. c. 18. de reform.* quin & posse Episcopum cum majore parte Capituli, non obitante pauciorum contradictione, statuere, ut quilibet Canonicus aliquid ex suis redditibus Ecclesiasticis debeat contribuere ad sustentationem pauperis alicujus Scholaris, resolvit cum Abb. *in c. ult. h. t. num. 1.* Barbof. *ibid. num. 4.* quod intelligendum videtur, dum is speratur doctrinam suam profuturus Ecclesiae Cathedrali, quae non minus quam Ecclesia universalis viris doctis eget.

## TITULUS XII.

### Ut Beneficia Ecclesiastica sine Diminutione conferantur.

*Quaest. 133. Quotupliciter contingat diminutio beneficiorum, & quid hic veniat nomine collationis?*

**R**esp. ad primum: Diminutio haec generatim loquendo fit quatuor modis; nimirum per impositionem novi oneris, per divisionem, dismembrationem, suppressionem; sub quibus quatuor modis veluti species seu membra aut requisita veniunt beneficiorum unio, annexio, applicatio, incorporatio, subjectio, extinctio. Notandum tamen circa haec, diminutionem aliàs communiter idem sonare, quod dismembratio; dum nimirum, non sublata unitate beneficii pars fructuum ei auferitur, & alteri beneficio applicatur, adeoque distingui à divisione, qualis dicitur, dum ex uno beneficio fiunt duo Laym. *ad c. majoribus de prab.* Item notandum, quod illud, quod beneficio imponi potest, esse duplex, reale & personale, reale est, dum pars aliqua reddituum beneficiatum subtrahitur, obligando beneficiatum, ut certam fructuum partem quot annis, aut semel pro semper solvat; personale, dum beneficiatus obligatur. V. g. ut deinceps scripturam praefatam, Theologiam aut Jus Canonicum doceat, Catechismum habeat, plura sacra dicat, choro assistat, simileve quid, quod aliàs beneficio annexum non fuit, praestet.

2. Resp. ad secundum: Nomine collationis hic comprehenditur praesentatio, institutio, confirmatio & qualibet alia beneficii provisio, ut cum Garc. *de benef. p. 1. c. 6. num. 32.* Pirh. *h. t. in praebulo.*

*Quaest. 134. Qualiter igitur prohibeatur. c. unico. h. t. providere alicui de beneficio cum diminutione, quae fit per impositionem novi oneris?*

**R**esp. Prohibitum esse, & non licere ulli collatori inferiori Papae in ipsa provisione beneficii onus ullum praeter ea, quae in ipsa beneficii e-

rectione seu fundatione ei annexa sunt, imponere, seu collatarium gravare ullo onere reali vel personali. V. g. Reservando sibi vel alteri fructus, aut eorum partem, imponendo pensionem, aut impositam augendo, ut constat ex *c. unio. h. t. juncto c. praebeamus. de censibus. c. si quis praebendas. 1. q. 3.* & Concil. Trid. *Sess. 25. c. 5. de reform.* ubi: *Ratio postulat, ut ius, quae bene constituta sunt* (puta, in beneficiorum erectione seu fundatione) *contrariis ordinationibus non detrahatur.* Nimirum, non tantum impositis oneribus derogando, sed & nova non imponendo, juxta declarationem S. Cong. apud Fagn. *in c. significatum. de prab. à n. 3.* Et quidem si exolutio oneris cedit directè vel indirectè in collatoris commodum, suspicio & periculum est simoniae pravitatis. Laym. *in c. cum Clerici. de pactis. num. 2.* Si verò exigatur pro collatione, seu de eo pacifcatur, aut à collatorio promittatur, simonia est expressa, ut cum Abb. *h. t. num. 14.* Pirh. *ibidem. num. 2.* Engels. *n. 2.* Laym. *loc. cit. num. 1.* Qualis tamen non est, si Episcopus, non quidem quae collator, sed quae Ordinarius, non ex pacto, sed per auctoritatem & potestatem suam ordinariam partem aliquam reddituum beneficii vacantis ob justam & necessariam causam reservet, vel etiam pensionem impositam augeat, praesertim ubi majores nunc quam ante fructus ex beneficio proveniunt; licet id cedat aliquo modo in Episcopi conferentis commodum. V. g. ad debita contracta, non suo privato, sed Ecclesiae nomine, solvenda. Abb. *loc. cit. num. 15. & 20.* Laym. Pyrh. Engels. *LL. cit.* De cetero in eo, num id possit licitè citra simoniam cum consensu Capituli de jure ordinario, sine privilegio aut licentia Papae, non usque adeo conveniunt AA. Valde probabiliter id negari ab Abb. *h. t. num. 20.* ait Pirh. *h. t. num. 4.* Arg. *Rubrica. h. t. & c. ult. 1. q. 3.* item Arg. *Clem. 2. de reb. Eccles. non alien.* dum ibi unio perpetua beneficii fieri ab Episcopo mensae Episcopali, etiam cum consensu Capituli prohibetur; ea ratione, quod licet in facto proprio seu in suum com-

modum